

postquam pridie, antequam defungeretur, filius medicus ERNESTVS HENRICVS, Suerinum esset regressus. Itaque ad coelestem Patrem suum, vt antea semper, totus conuersus, pro innumeris in se collatis beneficiis, ineffabili cum primis moriendi extremo, exquisitissimis verbis gratias egit, Serenissimae deinde Domui Mecklenburgicae et Bada-Durlacensi, Augustissimo ante omnia Hero et Principi suo, CAROLO LEOPOLDO, Mecklenburgico, domum pacatam, vitam longaeuam, imperium diuturnum, tempora tranquilla, populum fidelem, supremis inde Eiusdem Status Administris, reliquisque Ministris, Prouinciis, Academiae, Senatui, Collegis, Ministerio tum vniuerso, tum sigillatim suo, Scholis, ciuibus, populo, filiis et familiae fausta quaeuis et felicia ex toto pectore precatus, missis indefessis ad creatorem suum precibus et suspiriis, die quinto superioris mensis Maii, post duodecimam meridianam inter manus brachiaque filiorum praesentium, mox dormituri ad instar, ea in fide, quam per vniuersam vitam suam professus est, quamque imperterrito semper animo defendit, pie placideque exspirauit, postquam LXXIX. annos, menses III. dies XI. viuendo confecisset. Dies equidem ipsi saepissime aduocatus, adeoque laetus per omnia et iucundus, nobis vero peracerbus sane, luctuosissimusque. Eodem enim parentem amisimus longe optimum benignissimumque, qui tum necessitates nostras, tum studia, omni, qua potuit, ope, consilio, sumptibus, non iuit tantum, sed et prouehere adnitus est, cuius proinde sempiterna penes nos memoria, quoad vixerimus, sancta semper erit et indelebilis.

(Ad Fecht.Comp.)

b

Index